

§. XVI.

NON OMNEM SEQUESTRATIONEM HANC HABERE CON-
DITIO-
NEM ADIVNCTAM , VT RES FINITA LITE
VICTORI RESTITVATVR.

SED diximus supra (§. II.), multos doctores, in definiendo se-
questro, illi definitioni, de qua hucusque disputauimus, adicere
hoc quoque, vt finita lite res victori restitatur. Quare de eo
quoque, inprimis, quum et hoc a nobis in definitione nostra omis-
sum sit, differendum erit, vtrum recte faciant, qui hoc adiiciunt?
Quod quidem omnino et ego negandum esse puto. Sed non opus
est, vt multa de hac re proferam, quum otium nobis in eadem fe-
cerit celeberrimus Iureconsultus SAMVELIS DE COCCEII ^{a)}, qui, ad-
ductis variis locis ex libris nostris ^{b)}, luculenter probauit, posse et
sub alia certa conditione ita deponi (malletm latius dicere: ita se-
questrari), vt existente conditione alteri restitatur. Sed id
ipsum sensisse multi videntur, quos supra diximus hanc conditionem
definitioni adiunxisse, quum non nulli eorum hoc ita efferant, vt
dicant, esse rem sequestratam sub hac conditione depositam, vt
finita lite, vel alia existente conditione restitatur. Quare nec
huic rei diutius immoramur.

§. XVII.

a) in iur. civ. controu. Tit. depositi.
qu. 16.

b) ipsa loca, vt sint in promptu, nomi-
nabo. Sunt autem haec: c. si quum

dotem 22. §. fin autem 8. D. soluto
matrim. c. si soluturus 39. D. de so-
lution. c. propter instrumenta 5. C.
depositi. c. si fideiussor 7. §. ult. D.
Qui satisfacere cog.